

VINCVNT igitur Senones liberalitate τὸς μύσους, quorum olim est iusticia laudata & hospitalitas. Marchio Elector promisit Sabino trecentos aureos, & filio sacerdotium, & princeps Sigismundus addit centum quotannis. Litterarum exemplum vult Sabinus tibi ostendi, & misissem, si hic tabellarius mihi notus esset. Gaudeo Sabinum hilariter redire ad littus Balticum, & opto vt iter sit felix. existimo & viaticum mediocre esse. Nostra Academia ei donauit viginti quinq; Ioachimicos, ego addidi viginti, & patria vrbs viginti. Περὶ γαμικοῦ παράγματος dixi Georgio, vt adolescentē cum huc veniet, ad me ducat. Sed si alibi vultis rem agi, significa. Mihi videretur Lipsiæ posse agi commodius. Augustani necessarium tuum Saxam, & quosdam eius collegas vellent esse moderatiores, in reprehensionibus quibusdam, & minus miscere conuiciorum, quæ nec prosunt, nec grauitati conueniunt, quæ decebat loca sacra. Sed tale est hoc seculum, te tamen vellem ad tuum illum scribere. Scripsi ad eius collegam. Scire cupio an sacerdos cui litteras ad ducem Othenricum dedi, apud te fuerit, iussi enim à te litteras petere. Bene & feliciter vale. Filius Dei dominus noster Iesus Christus seruet totā Ecclesiam tuam domesticā. Scribā plura, cū alius istuc ibit mihi notus. v. Idus Nouemb.

Philippus.

CLARISSIMO VIRO ERVDITIONE ET VIRTVTE PRAEstanti Ioach. Camerario fratri suo carissimo, S. D.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.hadw-bw.de/view/melanchthon1569/1511
gefördert durch Baden-Württemberg